



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 149. Cardinalis Salviati electio proposita sed rejecta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](#)

**Sæcul. XVI** exclusum percepérunt : Solus Car-  
A.C. 1549. dinalis Polus nihil inde turbatus e-  
 rat, cum ab omni ambitione omnino a-  
 lienus, atque honorum minime cupi-  
 dus esset.

## §. CXLIX.

*Cardinalis Salviati electio proposita,  
 sed rejecta.*

Per Poli exclusionem Cardinali Sal-  
 viato ad summum Pontificatum adi-  
 tus pandi videbatur, eo quod Cardina-  
 les natione Galli eum simul, & Rudol-  
 phum, qui ambo patria Florentini erant,  
 proposuissent. Verum mutuo hoc no-  
 minationis concursu alter alterius elec-  
 tionem remorabatur ; quamvis enim  
 Rudolphus Galliarum Reginæ, Cathari-  
 næ Medicææ patrocinio suffultus esset,  
 Salviatus tamen auctoritate, ac propria  
 rerum agendarum peritia, meritisque  
 potior erat, imo nec eidem deerat Gal-  
 lorum favor: ipsus insuper Ferdinandum  
 Gonzagam, ejusque fratrem Cardina-  
 lem, necnon Mendozam, qui totum  
 negotium Cæsaris nomine procurabat,  
 adeo sibi devinxerat, ut hi tres junctis  
 viribus Cæfareos Cardinales ad Salvia-  
 ti electionem inclinare niterentur. Ho-  
 rum autem studia excitabat pollicita-  
 tio

tio (\*) qua Salviatus Gonzagæ amplissi-  
mam in Gallia Cisalpina ditionem, Men-  
dozæ vero Senarum imperium, quod  
jam alieno nomine possidebat, proprio  
jure obtinendum promiserat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.

Verum Etruriæ Dux utriusque Cardi-  
nali vehementer obluctabatur; quippe  
ob acres contentiones in Princi-  
patus sui initio exortas tam Rudolphi,  
quam Salviato infensus erat, imo Far-  
nesius quoque Cardinalis parum fave-  
bat Salviato, qui ejus gratiam recupe-  
raturus Ranutium Farnesii fratrem per  
ministerium Neptis suæ, quæ Ranutii  
uxor erat, sibi demererit studuerat, nec  
sine prospero successu; quippe hujus Ma-  
tronæ opera Farnesianos sibi concilia-  
bat: verum negotio longius protracto  
alia interim agitabantur consilia, per  
quæ Salviatus spe sua excidit, unde Far-  
nesius

---

(\*) Hanc spem fuisse factam solus refert Thuanus, id vero a Salviato fuisse promissum non exprimit, imo nec, ut rem certam, sed duntaxat vulgi rumoribus innixam narrat, addens: *ut multi existimant*, Continuator ve-  
ro tanquam rem absque omni controversia positat, certamque pro more suo, ac scripti-  
tandi libertate recenset, ut Pontificum elec-  
tiones Simoniae labi conspersas Lectoribus suis  
proponere valeret.

**Sæcul. XVI.** nesius Cardinalis hujus moræ benefic.  
**A.C. 1549.** cio usus Hyppolytum Pallavicinum ad  
 Cæfarem decrevit, ut tam suo, quam  
 Octavii fratris sui nomine eidem expo-  
 neret, quod Gonzaga, ac Mendoza, qui  
 Salviato favebant, eo in negotio gravi-  
 ter hallucinarentur, atque injuriam,  
 quam per hoc Cæfari inferrent, non ap-  
 prehenderent: Igitur Carolus Impera-  
 tor quantocius datis ad utrumque lite-  
 ris imperabat, ut Salviati Cardinalis e-  
 lectionem haud ultra urgerent,

Cum igitur Cardinales Salviatus,  
 ac Polus hac ratione excluderentur, per  
 aliquot dies varii Cardinales nomina-  
 bantur potius obsequii gratia, quam  
 eos eligendi studio; quippe hos neces-  
 sariis ad electionem suffragiis carituros  
 esse, facile prospici poterat. Præpri-  
 mis Cardinalis Toletanus Neapolita-  
 ni Proregis Frater proponebatur, qui a-  
 liunde ob præclara virtutum merita, vel  
 maxime conspicuus, insuper apud Cæ-  
 farem, ac Florentiæ Ducem, qui Eleo-  
 noræ Cardinalis Nepti junctus erat, plu-  
 rimum gratia valebat: Favebat autem  
 Farnesius Cardinalis Marcello Cervino,  
 qui tamen Cæfari minus acceptus erat.  
 Nec deerant, qui Cardinalem Guisium  
 annis quidem juvenem, meritis tamen  
 magis proiectum nominarent, verum  
 nec hic ceteris placuit.

§. CL.